

GVNOMADVS ET VADOMARIVS FRATRES, GER·
maniae superioris principes.



Gvnomadus & Vodomarius fratres, principes superioris Germaniae fuerunt, atq; circa Rhenum, haud procul à Rauracis, ubi hodie Basilea cernitur, suam sedem habuerunt, circa annum Christi trecentesimum quinquagesimum. Erat autem uiri fortissimi, atq; rei bellicæ peritissimi. Itaque saepius Rhenum trahi cientes Galliam inuaserunt, atq; præda onusti in tutum sese receperunt. Id cum Cæsar Constantius intellexisset, cui Galliæ prouincia commendata erat, eos bello aggreditur, atque ponte super Rhenum constructo eos subigere statuit. Verum illi collectis copijs circa pontem Romanis fortiter restiterunt, ac eius transsumum ademerunt. Postea Cæsar uado inuenito trajecte statuit: uerum horum ducum uirtute iterum impeditus fuit. Cum itaque uario Marte aliquandiu bellum illud duresset, tandem Constantinus cum Germanis pacem sanciuit. eam etiam principes fratres eo libentius amplexi sunt, cum aruspices et Druides ipsis pugnâ disuasissent, ne damnū aliquod susciperent. Fœdere autem publice iacto, Constantius Gunomadum & Vodomarium singulari amore prosecutus est, atq; ipsi maxima officia distribuit. Inter eos Altinus præfectus prætorij, Agilo magister equitum, Scutilo centurio militum extitit, quorum uirtute fretus, aliquoties Constantius Cæsar hostes aggressus uictor euasit. Ammian. Marcel. lib. 14,